





§. III.

De divisione Scripturae.

6 Communiter dividitur Scriptura in veterem & novum testamentum, seu in libros ad legem veterem seu Moysaem spectantes, & in libros ad novam seu Christianam legem pertinentes. Veteris testamentum est collectio illa librorum sacrorum, qui promittunt venturum Redemptorem, cum preceptis legis antiquae. Novum vero est collectio illa librorum sacrorum, quae promissum liberatores in praesentem exhibent, cum preceptis novae legis.

Libri veteris testamenti dividi solent in quatuor classes, scilicet in legales, quales sunt quinque libri Moysi, seu Pentateuchus, Genesis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum, & Deuteronomii. Historiales, scilicet Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Esdras, Tobias, Judith, Esther, Machabaei, Sapientiales, ut Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Et libros Prophetales, quatuor nempe majorum Prophetarum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & duodecim minorum, Oseas, Joel, Amos, Michaeas, Abdias, Jonas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Libri autem novi Testamenti sunt quatuor Evangelia, Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, legalibus libris correspondentia. Acta Apostolorum quae historialibus correspondent, Epistola D. Pauli quatuordecim, una D. Jacobi, duae D. Petri, tres D. Joannis, & una Jude, quae libris Sapientialibus correspondent, & Apocalypsis D. Joannis quae correspondet libris Prophetarum.

7 Horum librorum quidam dicuntur Canonici, quia eos a Spiritu Sancto tamquam auctore prodidisse, per Ecclesiam constat; Alii vero Apocryphi, hoc est occulti, de quibus an a Spiritu Sancto manarint, incertum & occultum est; ideoque a sacrorum librorum catalogo, eo nomine merito rejiciuntur. Pro Canonice constans est omnium Catholicorum sententia, omnes illos qui in latina vulgata Biblia editione continentur, esse Canonicos, praeter orationem Manasse Regis Juda, cum captus teneretur in Babylone, duos posteriores libros Esdras, & duos etiam posteriores Machabaeorum, qui propterea in sine Biblicae, extra seriem librorum Canonice depositi sunt. His enim dumtaxat exceptis, Sacra Synodus Tridentina, alios pro Canonice suscipiendos decrevit scilicet ubi post recensitum illorum numerum, scilicet quadraginta quinque ex veteri testamento, & viginti septem ex novo, haec verba subdantur: Si quis autem libros illos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, non receperit pro sacris & Canonicis, anathema sit. Idem sacrorum librorum canonis fuerat prius editus a Florentino in decreto Eugenii, & in Concilio Carthaginiensi III. c. 47. & ab Innocentio I. in Epistola 3. ad Exuperium, & a S. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. qui praedicto Concilio Carthaginiensi interfuit, & subscripsit. Hi tamen Baruch expressam mentionem non faciunt, sed eum sub Jeremia comprehendunt, quia Baruch fuit scriba Jeremiae, ut patet ex Jeremia 36. ideoque veteres prophetiam Baruch citantes, citant sub nomine Jeremiae, ut pluribus exemplis offendit Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 11.

8 Porro libri Canonici divisi duplici generis, alii enim vocantur Proto-canonicis, alii Deuterocanonicis. Priores sunt illi de quibus in Ecclesia Dei nunquam a Catholicis haecenus dubitatum fuit. Posteriores vero de quibus non nunquam ab aliquibus Catholicis est dubitatum, sed tamen amplius non dubitatur ab illo Catholico, Proto-canonicis sunt infrascripti: Pentateuchus, sive quinque Moysi libri Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, duo Esdras, Job, Psalterium centum quinquaginta Psalmodiarum, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, quatuor Prophetae majores, & duodecim minores, quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolae tredecim D. Pauli, omnes nempe, excepta illa quae est ad Hebraeos, prima Petri, & prima Joannis.

Deutero-canonicis autem sunt ex veteri Testamento, Esther, Tobia, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, hymnus triam puerorum, Danielis 3. historia Susanna, & Draconis, Danielis 13. itemque oratio Azariae, sicut & oratio Jeremiae circa Threnorum; Machabaeorum primus & secundus. Ex novo Testamento caput ultimum Marci, ab eo loco: Surgens autem Jesus, & ex capite 23. Lucae historia de sudore Christi sanguineo, & de confortatione ejusdem Christi per Angelum: Joannis 8. historia de muliere adultera, & ex prima Epistola ejusdem, haec verba: Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Item tota Epistola ad Hebraeos, Epistola Jacobi, & Jude, secunda Petri, secunda Joannis, & denique Apocalypsis ejusdem: de quibus aliqua Ecclesiae particulariter,

& aliqui Patres dubitarunt, aut negarunt esse Canonicos; licet aliqui adhererent Ecclesiae universali, neque dubitarent aut negarent, si fuisset definitio intimata toti Ecclesiae, ipsique nota.

Inter Apocryphos vero numerantur tertius & quartus Esdras, tertius & quartus Machabaeorum, Oratio Manasse, appendix libri Job, qui ejus genealogiam describit, praefatiuncula Threnorum Jeremiae, quae incipit: Et factum est postquam in captivitatem; quae nec in Hebraicis, nec in Graecis, sed in nonnullis dumtaxat Bibliis Latinis habetur. Liber Hermiae, qui inscribitur Pastor, & denique Evangelia, quae sub nomine Andreae, Bartholomaei, Barnabae, Nicodemi, & aliorum circumferuntur.

§. IV.

De variis Scripturae editionibus.

Prima Scripturae Sacrae editio est Hebraica veteris testamenti, & Graeca novi: totum enim veteris testamentum a suis auctoribus Hebraice scriptum est, exceptis paucis libris Chaldaice conscriptis, ut Judith, Tobia, & quibusdam partibus libri Esdras & Danielis, ut testatur Hieronymus praefatione in Daniele, ubi cum is reponit adhuc quasdam partes Jeremiae, additque librum Job Arabicis vocibus permixtum esse. Novam vero testamentum Graece scriptum est, praeter Evangelium Sancti Matthaei, quod Hebraice primum ab illo scriptum fuit, Evangelium Sancti Marci, quod ab eo Latine editum est, ut probat Baronius tom. primo Annalium, anno 95. num. 41. & Epistolam ad Hebraeos, de qua ambigitur, an primum Hebraice, an vero Graece scripta fuerit. Origenes enim & Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. historiae cap. 11. & 18. censent hanc Epistolam Graece scriptam fuisse, ita ut sententia & res sit Pauli, phrasibus vero & styli sit Lucae, & Clementis, ideoque sit elegantior ceteris fatis Epistolis. Hieronymus vero, Theodoretus, Oecumenius, & alii probabilis existimant, Paulum scripsisse hanc Epistolam Hebraice, ut pote Hebraum Hebrais, & hac de causa alias styli elegantia superare. Est etiam controversia inter Auctores, quod idiomate Epistola ad Romanos scripta fuerit. Salmeron enim tom. primo, prole. om. 35. in fine, asserit illam Latine scriptam esse: Bellarminus autem, Cornelius a Lapide, alique plures, censent scriptam esse Graece, & postea versam in Latinum a Tertio, qui Pauli Amanuensis fuit, ut dicitur cap. 16. versu 22. vel alio interprete, quem dicit Cornelius Paulam semper ad manum habuisse.

Secunda editio est Paraphrasis Chaldaica veteris testamenti, quam Hebraei Targum vocant; de qua qui ejus Auctores fuerint, lis & controversia est inter Auctores. Aliqui enim Judaei existimant, illam ab Ezechiele Propheta fuisse compositam. Jacobus Episcopus Christopolitanus in expositione Psalmi 20. asserit auctorem translationis hujus fuisse Jonathanem Benueziel Judaeum, qui anno 21. Octaviani Augusti, hoc est anno ante Christum natum, transiit totum veteris testamentum in linguam Chaldaicam, sensum magis de sensu, quam verbum de verbo exprimens. Communis tamen sententia docet, Paraphrasim Chaldaicam veteris testamenti, factam esse a tribus Rabbiniis Judaeorum, nempe a Rabbi Aquila, qui Pentateuchum: Rabbi Jonathan, qui librum Josue, Judicum, Regum, & Prophetas; & Rabbi Joseph caco, qui Job, Psalterium, Esther, Proverbia, Ecclesiastes, & Cantica, in linguam Chaldaicam transtulit. Haec Galatinus suis fuisse Discipulum Simeonis Julii, qui excepit Christum in ulnas suas, & anno post ejus nativitatem quadragesimo, hanc translationem suae paraphrasim edidit.

Tertia editio est Graeca septuaginta Interpretum, facta 270. annis ante nativitatem Christi, sub Ptolomaeo Philadelpho, apud Pharam Aegypti. Cum enim Demetrius Phalerus, Bibliothecae regiae praefectus, ingentem pecuniam summam a Ptolomaeo accepisset, ut omni generis voluminum eum ornaret, & jam quingenta millia volumina Graeca in eam deportari curasset, & Ptolomaeo promississet se longe plura repositurum, si aliam quoque gentium scripta congereretur, praesertim Judaeorum, quorum libros habens non comparavit, quod propria lingua & characteribus conscripti essent, scripsit Rex ad Eleazarum Pontificem, petitique ab eo Interpretes, quos ut facilius impetraret, centum millia Judaeorum, quos Ptolomaeus Lagus captivos duxerat in Aegyptum, libertate donavit, & in Judaeam remisit, una cum pluribus ad templum donis. Ejus votis annuus Pontifex, misit ad ipsum septuaginta duos Interpretes, legis peritissimos, linguarumque Graecae & Graece scientissimos, unde Hilarius, Principes, Doctoresque Synagoga; eos appellat, & plures existimant aliquos ex illis fuisse ex magno Synedrio, seu Concilio Hierosolymitano. Hujus rei historiam descripsit Aristeus, unus ex legatis Ptolomaei ad Eleazarum,

a quo

quo Josephus lib. 12. antiquitatum c. 20. & Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus, eam mutuati sunt.

Addit ibidem Epiphanius, hos Interpretes binos & binos in cellulis inclusos fuisse, & divino miraculo singula paria in idipsum, idemque verbum totam Scripturam transtulisse: ita ut simul confecerint sex & triginta exemplaria ejusdem prouti versionis. Justinus vero in oratione exhortatoria ad Gentes, dicit singulos in singulis cellulis fuisse inclusos, & majori adhuc miraculo, a singulis sortibus totam Scripturam idemque verbum redditam: & se apud Alexandriam vestigia cellularum vidisse testatur. Idem asserunt Irenaeus lib. 3. c. 35. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Cyrillus Carechensis, & alii. Sed repugnat Hieronymus lib. 2. contra Rufinum, & in praefatione tam in Pentateuchum, quam in libros Paralipomenon, ubi aperte ridet hanc historiam: *Nescio (inquit) quis primus auctor Alexandriae septuaginta cellulas mendacio suo struxerit.* Itaque existimat D. Hieronymus, septuaginta duos Interpretes in eadem Basilica sedentes, & inter se conferentes, Scripturam transtulisse. Sed quidquid sit de hoc, concedunt omnes, hanc versionem non sine speciali Dei assistentia factam esse, tum propter admirabilem eorum consensionem, tum etiam quia integram opus, brevissimo tempore, nimirum septuaginta duorum dierum spatio, perfecerunt: quae duo erant disticta, immo ipsa consensio moraliter erat impossibilis, nisi a Deo ipso directi & gubernati fuissent; unde Augustinus libro 2. de doctrina Christiana cap. 7. uniformem hanc consensionem, tamquam miraculosam, & opus dexterae Excelli, commendat.

13 Praeter Graecam septuaginta seniorum translationem, plures aliae tam veteris quam novi testamenti, post Christi adventum, fuerunt factae, Graeco etiam idiomate, cum enim septuaginta Interpretum editio coramperit & vitari coepisset, partim negligentia librariorum, partim malitia hominum, Aquila, Symmachus, & Theodotion, licet alias homines haereticis essent, novas utriusque testamenti de Hebraeo in Graecum translationes edidit, in quibus in odium Christiani nominis multa perperam addiderunt, ut testatur Chrylostomus homil. 5. in Matth. & Hieronymus Epistola 89. ad Augustinum. Deinde corruptam Septuaginta editionem emendavit Origenes multis ex Theodotione admixtis Alericis, seu signo radiantis stella, designans quae minus essent; obelis vero, seu virgulis, quae ex superfluo viderentur apposta. Post Origenem vero etiam emendavit editionem Septuaginta Lucianus Martyr, ejusque editio Lucianea vocata est, a sui Auctoris nomine, eaque usque fuit omnia Ecclesiae a Constantino ad Antiochiam usque, ut testatur Hieronymus praefat. in libros Paralipomenon, cujus verba infra referemus. Et in praefatione ad Palterium ait ipsam sanctissimi Martyris manibus descriptam, reperitam fuisse Nicomedia in quadam turri a Judaeis calce illitam, quod Athanasius dicit contigisse sub Constantino Imperatore. Tandem Hesychius Monachus, & in Palestina multorum Monachorum pater, qui Hilarius Sanctissimi Eremitae, sanctissimi amoris vinculo junctus fuit, cum Graeco linguae peritissimus esset, & divinarum Scripturarum lector assiduus, novam Graecam translationem totius Scripturae publicavit, partim a se de Septuaginta Interpretibus in veteri testamento emendatam, partim vero propria industria in novo testamento, ad antiquam fidem restitutam. Harum editionum mentionem facit Hieronymus praefat. in libro Paralipomenon, ubi haec scribit: *Alexandria & Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudans Auctorem, Constantinopolis usque ad Antiochiam, Lucianus Martyris exemplaria probat. Media inter has provincias Palaestinos Codices legunt; quos ab Origene elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgarunt; totaque orbis haec inter se tricarica varietate compungunt.*

§. V.

De editione vulgata, ejusque in Ecclesia auctoritate.

14 UT habuerunt Hebraei sua lingua Sacram Scripturam, Graeci quoque sua testamentum veteris, ex versione Septuaginta Interpretum, & testamenti novi ipsos primos fontes; aequum erat, ut Latina Ecclesia, in qua sedes sua eam lingua eandem haberet Scripturam; quare innumerabiles olim fuisse Latinas illius editiones, testatur D. Hieronymus praefatione in Josue, & D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 11. Sed inter illas duplex fuit vulgata, quae maxima fuit auctoritatis in Ecclesia. Una vetus, cujus Auctor ignoratur; fuitque aucto Hieronymum, & ipsam S. Augustinus libro citato c. 15. Italiam vocat. Alia nova, facta ab ipso Hieronymo, qui iussu Damasi Papae, veteris testamentum ex Hebraeo in Latinum transtulit, & novum testamentum Graeco fidei reddidit. Haec tamen duae vulgatae editiones Latinae, vetus & nova, etiam tempore procedente, contentiosum materiae, Tom. IV.

riam subministravit, unaquaque sues fautores habebat; nam illa antiqua, seu Itala apud Augustinum citatum melior judicabitur: Idem vero lib. 6. Etymol. cap. 6. Hieronymi versionem ceteris anteposuit. Unde post Sancti Gregorii tempora, ex illis duabus vulgatis, veteri & nova, una constata est ad communem Ecclesiae usum, quae vulgata communis dicta est; non quod in singulis libris utraque versio permixta sit, sed quia in ea aliqua Scripturae libri, nempe Pentateuchum, Josue, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobias, Judith, Esther, Esdras, Prophetae omnes, Canticum Canticorum, Proverbia, Ecclesiastes, & Job, leguntur, sicut Hieronymus ex Hebraeo in Latinum illos transtulit: alii vero libri veteris testamenti, non ex versione D. Hieronymi, sed ex antiqua translatione ante ipsum, cujus auctor ignoratur, & quae ab Augustino Itala vocatur, desumpti sunt. Palterium etiam vulgatae editionis Latinae, non est illud quod D. Hieronymus transtulit ex Hebraeo, neque illud quod transtulit ex versione Graeca Septuaginta Interpretum, sed illud quod ipse emendavit, translatum ab antiquo Interprete ex editione S. Luciani Martyris. Demum testamentum novum vulgatae editionis, totum nunc legitur secundum veterem editionem, quam tamen D. Hieronymus emendavit; constat enim Hieronymum emendasse novum testamentum, iussu Damasi Summi Pontificis, ex praefatione ejus in Evangelia, & ejus emendationem fuisse ab Ecclesia receptam, & valde placuisse hominibus doctis & piis ejus temporis, ut intelligi potest ex Epistola 10. Augustini ad Hieronymum.

Ex his facile intelliges, editionem vulgatam maxime esse in Ecclesia auctoritatis; ut enim jam ostendimus, ea partim constat ex versione illa antiqua communis, quam Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 15. Italiam vocat, astrictive Latinis omnibus editionibus, quae plurime circumferuntur, praefendam esse, quod esse (ut ipse loquitur) verborum sanctorum, cum perspicua sententia: partim ex translatione & emendatione Divi Hieronymi; cujus multa extant Sanctorum Patrum egregia testimonia: Augustinus enim lib. 18. de Civit. Dei, cap. 43. sic ait: *Non desuit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebraeo in Latinum divinas Scripturas converterit, cujus tantum litterarum laborem Hebraei fatentur esse veracem.* Eundem Sanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. ita praedicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebraeo eloquio cuncta verba transfudisse dicat, atque ideoque dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus quoque Ildorus lib. 6. Etymol. cap. 5. Presbyter (inquit) Hieronymus, trium linguarum peritissimus, ex Hebraeo in Latinum eloquium, divinas Scripturas converterit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio auctoritate ceteris anteposuitur. Unde Sopronius, vir eruditissimus, Sancti Hieronymi translationem, non Latinis modo, sed etiam Graecis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Palterium & Prophetas ex Hieronymi versione, in Graecum elegantem sermone transfuderit, & Damasis Papa voluit illam in communem Ecclesiae usum introduci, ut refert Platina in ejus vita. Merito igitur Concilium Tridentinum sessione 4. speciali decreto vulgatam editionem, ut authenticam habendam esse declaravit; his verbis: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum Librorum, quarum pro authentica habenda sit, immoretur; statuit & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, dispensationibus, praedicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere, quovis praetexto audeat & presumat.*

Hinc colliges, Scripturam Sacram vulgatae editionis, esse regulam fidei infallibilem, non vero textum Hebraicum, quem nunc habemus, aut versionem Septuaginta Interpretum.

Prima pars patet: Scriptura enim Canonica est infallibilis regula fidei; cum enim sit inspirata & dictata a Spiritu Sancto, necessario vera est in omni sensu, quem Spiritus Sanctus intenderit; unde Christus ipse Joanni 5. Judaeos ad eam provocat, dicens: *Scrutamini Scripturas, illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Et Augustinus lib. 2. contra Donatistas cap. 6. *Non asseramus (inquit) stateras doctas, ubi appendamus quod volumus, pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve est, sed asseramus auctoritate statueram de Scripturis Sacris, tanquam de thesauris Domini, & in illa quid sit graecus appendamus; immo non appendamus, sed a Domino assera recognoscimus.* Sed Scriptura Sacra vulgatae editionis, authentica & canonica est, ut definitur Tridentinum: Ergo illa est infallibilis regula fidei.

Secunda vero pars suadet: Nam licet textus Hebraicus veteris testamenti, fuerit quidem initio plane divinus & authenticus, quia Hebraeis Hebraice primum & originaliter traditus fuit, ab illoque ad Graecos & Latinos derivatus, manseritque integer & authenticus usque ad Christi







ad Benecam, quarum meminit Hieronymus in Catalogo de Scripturis Ecclesiasticis, Liber Pastoris, cuius Auctor, teste Hieronymo, loco citato, fuit Hermen, cuius mentio fit in Epistola ad Romanos cap. ultimo. Unde, inquam, certo scire possimus, quod hi libri non sint Canonici, nisi traditione? Quicunque igitur Scripturam admittit, necessarium admittere debet traditionem, quae hanc potius Scripturam, quam aliam, nobis divinitus revelatam proponit, cum id aliam quam traditione scire nequeamus.

36 Respondent Haeretici, unicuique habenti verum fidei spiritum per se constare, quae sit vera Scriptura, quae falsa.

Sed contra primo: Fideles primitivae Ecclesiae habebant verum fidei spiritum, ut faterentur Adversarii, & tamen testatur D. Augustinus libro de praedestinatione Sanctorum capite 14, quod iudicabant librum Sapientiae, quem rejicit Calvinus, esse sacrum. Verba Augustini sunt: Sed qui sententiam tractatorum instruit, oportet ut ipsum librum Sapientiae, ubi legitur, Rabus est ne malitia mixaret intellectum eius, omnibus tractatoribus anepsonant, quoniam sibi eam anepsonant etiam temporibus proximi Apostolorum egregie tractatores; qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crederent.

Secundo, incertum omnino est quis verum illum fidei spiritum habeat: Calviniani enim non credunt illum fuisse in Luthero, nec Lutherani in Calvino, nec ullus est illis in Catholico Romano. Inter ipsos etiam Calvinistas dissentio est, quoniam sit vera Scriptura, ut inter Calvinium & Bezanam de initio capitis 8. Joannis, quorum alter spuriam, alter Divinam Scripturam esse vult: Incertum ergo erit quae sit vera Scriptura, nisi ad traditionem recurratur.

37 Probatur quinto: Si omnia Christianae Religionis dogmata in sola Scriptura continerentur, magnum haereticis ad errores in Ecclesiam Dei introducendos pateret ostium: Sed incredibile est, Christum & Apostolos, usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo & omnia ad fidem Christianam necessaria in Scriptura contineri. Minor constat, Major vero ex eo aperte demonstratur, quod cum doctrina Scripturae in controversiam vocata, neque declarare, neque tueri se ipsam posse adversus novarum interpretationum corruptelas, facile adulteratur & corrumpitur ab haereticis, non vero traditio, utpote quae successione & praxi continua pater in Ecclesia, unde plures sine comparatione haecenus fuerunt Haeretici, qui Scripturam quam traditione abuterentur: Nemo enim Haereticorum est (dicebat olim Hilarius ad Constantianum Augustinum) qui non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemus, mentitur. Videtis illos (inquit Vincentius Lyrinensis) vitare per singula quae sacra legit volumina, per Moysen, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas: sine enim apud suos, sine aliam, sine privatum, sine publicum, sine in sermonibus, sine in convitiis, sine in praesentibus, nihil unquam de suo profertur, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur: sicut enim factores succi nulli fore placituros: si unde & simpliciter exhalentur, unde illos caelestis eloquiis verbis, velut quodam aromate aspergant. Facilius porro haereticis quod patrem suum scilicet videtur, & auctoris sui callida machinatione sectantur, qui ipsum Dominum Scripturarum testimonio appetit: si filius, inquietat, Dei est, mirre te deorum, scriptum est enim. Ita quodcumque dogma haereticis proferat, statim ait, scriptum est enim. Unde Hieronymus in cap. 1. ad Galatas, ait quod omnes haereticos & Scripturas sibi insuntur certicilia, quae ponant sub cubito unioerse aetatis. Et Augustinus Tract. 18. in Joann. Non nata sunt haereticis (inquit) & quadam dignata pervertitatis illaqueantia animas, nisi dum Scripturas bene intelliguntur non bene, & quod in his non bene intelligitur, removere & audacter afferitur. Ex quo infert Tertullianus libro de praescriptionibus cap. 19. & 21. non esse cum haereticis ex Scripturis disputandum, sed ex traditionibus quae in Ecclesiis retinentur, istamque subdit rationem: quia haeretici Scripturas in alienum sensum contorquent facile, sed ex traditione clare constat veritas.

38 Probatur sexto: Inter dogmata fidei Christianae numerantur ista: perpetua Matris Christi virginitas, quam contra Antidicimarianitas credit Ecclesia: Baptisma parvulorum, contra Anabaptistas: processio Spiritus Sancti a Patre & Filio, contra Graecos: celebratio Paschae post decimum quartam lunam Martii, contra Quartodecimanos: translatio Sabbati in diem Dominicum, contra Iudeos: dua in Christo voluntates, contra Monothelitas: At haec nullibi in Scriptura Sacra reperitur: Ergo omnia fidei Christianae dogmata non continentur expresse in Scriptura, sed aliqua habentur ex traditione, quae proinde fidei regula esse potest.

Confirmatur argumento quo utitur Divus Augustinus contra Maximinum Arianum, libro 3. contra ipsum cap. 3. In quo loco Scripturae legitur, Deus Pater ingenitus & innatus: & tamen ut dogma fidei creditur a Latheranis & Calvinistis: Ergo omnes fidei nostrae articuli non continentur in Scriptura, sed aliqui sola traditione decurrunt.

Respondet Molinæus libro de Purgatorio pag. 39. alios quos ex praedictis articulis, scilicet perpetuam Dei Matris Virginitatem, translationem Sabbati in diem Dominicam, & celebrationem Paschae post lunam decimam quartam Martii, non esse ad salutem necessariis credendos, alios vero esse quidem de fide, sed vel in facris literis expresse contineri, vel ex Scriptura per manifestam consequentiam deduci.

Sed contra: Ideo Helvidius, eiusque sequaces, ab Ecclesia pro haereticis habiti sunt, ut referunt Epiphanius & Hieronymus libris contra ipsos editis, quia negabant Deiparam post Christi partum Virginitatem remansisse: Ergo articulus de perpetua virginitate Matris Christi, est unus de pertinentibus ad fidem. Quoad celebrationem Paschae post decimam quartam lunam, licet ante Concilium Nicaenum primum, esset observantia libera, ab illo tamen Concilio, Decumani qui sentiebant non ita esse celebrandum festum illud, sed luna decimaquinta, pro haereticis habiti sunt. Quamquam ad translationem Sabbati in diem Dominicum, nullus est ex fidelibus, qui non habere tamquam Iudaeum, eum qui die Dominica laboraret, & Sabbato feriat. Unde Ignatius in Epist. ad Magnesianos docet Dominicam diem esse Resurrectionis Christi consecratam, & propterea illam, Regiam ac Principem omnium dierum, appellat.

Denique quoad reliquos ex praedictis articulis, cum fidei assensus non sit discursivus, sed simplex, propter solam auctoritatem dicentis, dicere, ut respondet Molinæus, quod per consequentiam ex Scripturis eruantur, non est probare quod sit ex fide credenda, sed illud quod pertinet ad Theologiam, quae discursiva est, & quae ex mysteriis fide divina creditur, per discursum plures conclusiones deduci.

Denum suaderi potest conclusio ex eo quod semper traditiones & in omni latu acceptae fuerint: vix enim alium regnum est cuius lae traditiones desint, etiam quoad res maximi momenti, & interdum ipse regni leges fundamentales sola traditione habentur. exemplum in promptu exhibet florentissimum regnum Galliae, in quo omnium prima & praecipua lex Salica, sola traditione habetur: nec constat quem Auctorem habeat: alii ad Pharamundum Regem, alii ad Carolum Magnum, alii ad alios referuntibus.

Quantum ad statum legis naturae, in quo nulla Scriptura saltem Canonicae extabant, plura sola traditione cognoscuntur: nam praeter quod non est dubium quia Adamus nepotes suos plura docerent quantum ad scientias, quas nemo negat eas primum ab Adamo acceptas, & successiva ad Abrahamum dedudas, a quo Chaldaei, sicut a Chaldaei Aegyptii eas didicerunt. Sed praeterea, nec dubitari posse videtur, quin Adamus plura alia docuerit, quae ad religionem pertinent, qualia sunt originalis culpa, generatione tradita, remedium ad illam eluendam exhibendum, praecipue vero futurus adventus Messiae, & alia eiusmodi plura, quae certum est non ignorasse Adamum, & de quibus etiam dubitari non potest, quin posteris monerent. Hienoch etiam, ut habetur in Canonica divi Iudae, futurum aliquando iudicium ultimum suis praedicavit; Abraham circumcissionis praecipuum accepit, quod ad posterum, utque ad Moysen, sine ulla scriptura, sola traditione deductum est, & servatum.

In statu legis scriptae plures fuisse traditiones, facilis erit probatio. In primis, quia eadem traditiones habebantur, quae in lege naturae viguerant, nimirum de peccato originali, de purgatorio, de sacrificiis pro mortalis offerendis, de Messia, & ultimo iudicio futuro. Praeterea certum est apud Hebraeos, Moysen duplicem legem in monte Sinai accepisse, alteram quam scriptam omnibus promulgavit, alteram quae prioris explicatio erat, quam ore ad os, tum Josue, tum septuaginta senioribus tradidit. Idque praeter omnium Hebraeorum consensum, ex illo Ezech. 4. cap. 14. videtur colligi, ubi Deus ita loquitur: Enarravi Moysi mirabilia multa, & praecepi ei dicens: haec in palam facies verba, & haec abscondes. Vulgo etiam dicitur, Ezech. ex precepto Dei, quadraginta diebus libros scripsisse, alios quos populo, alios quos solum sapientibus traderet, quos Pictus Mirandolanus asserit se legisse. Haec lex orali dicebatur, vel etiam Hebraeo nomine *Kabala*, a verbo *קבל* *Kibbel*, quod est accipere, ac si quis acceptionem vocaret, nimirum quod, ut dictum est, ore ad os traderetur. Haec lex, aut verius leges explicatio, sola traditione servata est, usque ad tempora Rabbini Haktados, quem ita honoris causa nominant, scilicet *Magistrum nostrum sanctum*, qui eum videtur Iudeos in alias terras deportari, veritus ne leges obliteraret, primus librum Misnah composuit, in quo traditiones, sententias, expositiones legis collegit. Post vero trecentos circiter annos a vastatione templi, R. Johanan ex iisdem traditionibus Talmud Ierosolymitanum composuit, & demum post annos centum plus minus, Talmud Babylonicum editum est, quod utrumque continet expositionem

tionem locorum difficultum, quae habentur in Misnah. Eisi vero plura in his inutilia, ac etiam contra jus naturae, aliquando habentur, quae a Rabbini posterioribus addita sunt, multa tamen continent a Moysae proculdubio accepta, & quibus etiam multi ad confirmanda fidei mysteria egregie utuntur: quos inter eminet Raymondus Martini, Ordinis Praedicatorum, qui summopos Pugnionis fidei, in testimonio locupletavit: quod opus olim Galatinus omnino exciperet, & tamquam proprium partum in lucem emiserat: Sed illud illusterrimus Dominus de Veslin, Exiletor Burgalensis, suo Auctori restituit.

Quantum ad statum legis gratiae, ex superioribus facile probari potest, & comparatione status omnium perfectissimi, cui nihil deesse credendum est eorum, quae in aliis statibus habebantur, qui huius dumtaxat figuras continebant, aut rudia lineamenta. Si ergo in statu legis naturae & legis scriptae plura habebantur sola traditione accepta, & quae necessaria erant ad cultum religionis, & regimen Ecclesiae, ut iam ostendimus, etiam in statu legis gratiae, non minus esse debent traditiones, cum non minus etiam ad regimen Ecclesiae pertinere possint ad necessaria sint.

Et confirmari potest ex eo quod in Actibus Apostolorum cap. 1. dicitur quod Christus per dies quadraginta apparet Discipulis, ipsis loquebatur de regno Dei: de regno scilicet Ecclesiae quam fundabat, de regimine quo regenda erat, de legibus quibus erat stabilienda, & aliis quae ad perfectum regimen necessarium requiruntur, haec enim omnia Christus post resurrectionem per dies quadraginta cum Discipulis conversatus, ore tenus eos docuit.

Si vero queras quem traditiones sint quae servantur in Ecclesia? Respondeo cum Gravina tom. 1. praef. contr. 4. art. 7. has postissimum haberi. Primo circa mysterium Trinitatis, tres esse dumtaxat, nec plures personas: est enim expresse habetur in Scriptura, tres esse personas, nullibi tamen expresse habetur non esse plures, sed id sola traditio docet. Secundo, quantum ad primam personam, nomen ingeniti ipsi solum convenire, & quantum ad Filium, esse principium Spiritus Sancti, & demum quantum ad ipsum Spiritum Sanctum, illius productionem non esse generationem, sed processionem, haec enim minus ex Scriptura, quam ex traditione habentur. Tertio, de Christo traditio habetur, defendente ad inferos, & liberasse Patres; & Crucis signum in honore habendum esse. Quarto, de Beata Virgine, virginitas eius perpetua, immunitas ab omni aeterni peccato, assumptio ejusdem in caelos etiam in corpore, traditio habentur. Quinto, Symbolum Apostolorum, sicut & Scripturam quam habemus, Canoniceam & veram esse Scripturam, sola traditione accepimus. Sexto, circa Sacramenta, eorum materiam, formam, traditio docet, saltem quantum ad aliqua, quarum materia & forma non exprimitur in Scriptura: sicut & Baptismus debere conferri parvulis, posse in necessitate conferri ab omnibus, validum esse collatum ab haereticis, imprimere characterem, non esse iterandum: Confirmationem vero esse Sacramentum, characterem imprimere, & a solo Episcopo ut ministro ordinali posse conferri: Eucharistiam esse Sacramentum fimum & sacrificium, & aquam vino miscendam esse: Penitentiam verum esse Sacramentum, & triplici parte, confessione scilicet, absolutione & satisfactioe constare: Extremam Unionem verum esse Sacramentum: Ordinem etiam esse verum Sacramentum, imprimere characterem, & varios esse ejus gradus: demum Matrimonium, verum etiam esse Sacramentum, conferre gratiam, & ratum, non consummatum, per profectionem religionis dissolvi. Haec omnia sigillatim ex traditione haberi probat erudite citatus Auctor. Quae vero sequuntur, & quae postissimum haeretici negant, probat operosius haberi traditione omnium a Christo saeculorum. Primo, primatum D. Petri; secundo, Missae sacrificium; tertio, purgatorium, & defunctorum suffragia; quarto, institutum monasticum, & calibatuum; quinto, suscipere Eucharistiae functionem sub unica specie; sexto, fieri veram in Eucharistia transubstantiationem; septimo, esse in Ecclesia thesaurum unde indulgentiae concedantur; octavo, sanctorum invocationem & intercessionem; nono, imaginum & reliquiarum cultum. His addo jejunium quadragesimale, quod omnes fere Patres ex Spondano anno 57. num. 57. docent institutum fuisse ab Apostolis in honorem Passionis & Resurrectionis Christi. Unde Hieronymus in Epistola ad Marcellam Nor. inquit, unam quadragesimam ex Apostolorum traditione congruo tempore jejunemus. Et Ignatius Epist. ad Philippenses in fine: Quadragesimale jejunium ne spernatis: Basilides item serm. 2. de jejunio, testatur jejunium quadragesimalis legem suo tempore adeo religiose observari fuisse solitam, ut nemo proflus ab illa sese eximeret: Non infusa, inquit, non cerea, non citraria, non gena, non domique locus ullus tam desertus, ubi praedicatio ista non fuerit audita. Sed & expectatis, & iter facientes terra marisque, mercatorum quoque omnes, similiter audimus & suscipimus. Idem de jejunio quod servatur quatuor anni temporibus docet Leo Papa Term. 7. de jejunio mensis septimi. Et serm. 2. de jejunio Pentecostes haec

habet: Dubitandum non est dilectissimi, omnem observantiam Christianam, eruditionis esse divinae, & quiquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium residet insitum.

Ex his intelliges, triplex esse genus traditionum: aliae enim sunt immediate a Christo, quae divinae: aliae ab Apostolis cum assententia Spiritus Sancti, quae Apostolicae: aliae quae vel a Praelatis, vel a populis inchoatae, uti & consuetudine obtinuerunt, ut vim legis haberent, quae Ecclesiasticae dicuntur. Duae priores habent eandem vim & certitudinem, quam habet verbum Dei scriptum, cum nitantur eidem auctoritati, quae nititur ipsum, & cum verbum Dei, ut supra dicebamus, non habeat vim ad atramento & characteribus, sed a Dei auctoritate. Rursus earum quae a Christo vel Apostolis sunt, aliae ad fidem, ut quod Deipara fuerit semper virgo, quod sit in caelum assumpta, quod nunquam venialiter peccarit: aliae ad mores pertinent: ut quod servanda sint jejunia, quod celebranda sint festa certis anni diebus, &c. De quo vide Spondanum anno 58. num. 36.

§. II.

Haereticorum objectiones solvantur.

Obijciunt in primis Haeretici: Scriptura prohibet addi quidquam Scripturae aut verbo Dei, dicitur enim Deuter. 4. Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis. Et Apocal. ult. Si quis appoverit (id est addiderit) ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro libri: Verbis igitur divinis, quae in facta explicatur Scriptura, nihil est addendum tamquam necessarium ad credendum, subindeque nulla sunt traditiones non scriptae, quae ad fidem pertinent.

Respondeo, quod cum Scriptura prohibet addi quidquam Scripturae aut verbo Dei, intelligi debet prohibere ne quid Sacrae Scripturae addatur, tamquam Scriptura divina, aut verbo Dei, tamquam verbum Dei, quod tale non sit, aut quod illi contrarium. Nam post librum citatum Deuteronomii, quo prohibetur, multi alii libri Canonici scripti sunt. Similiter cum D. Joannes ait: si quis appoverit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc, solam vetat ne libro Apocalypsis sibi in Patmos insula ostensa aliquid addatur tamquam pars illius Apocalypsis, quod tamen ipse non scripsit vel addiderit: non vero prohibet acceptari alias revelationes ad eum librum nihil facientes, aut Apostolorum traditiones, & Ecclesiasticas Constitutiones sacris literis non repugnantes.

Obijciunt secundo aliqua Scripturae testimonia, quae traditiones damnare videntur: Christus enim Matth. 15. alloquens Iudeos dicebat: Irritum scilicet mandatum Dei, propter traditiones vestras. Et Paulus ad Coloss. 2. videte, inquit, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem salutarium, secundum traditionem hominum.

Verum ad haec facile respondetur, Christum & Apostolum, locis citatis, reprobare quidem traditiones fictas, fucatas, & contrarias Scripturae, vel recta rationi; quales erant illae quas Iudaei a Phariseis acceptas ferebant, non tamen legitimas, quales erant quas ipsi Moyses & Prophetae tradiderant: ex quo proinde nihil contra nos; non ideo enim vere & Apostolicae traditiones sunt commendatae, quia Christus & Paulus falsas & Pharisaeas condemnarunt.

Obijciunt tertio: SS. Patres docent Scripturam Sacram esse sufficientem fidelibus; ait enim Tertullianus contra Hermogenem, Adoro plenitudinem Scripturae, & Augustinus libro 2. de doctrina Christiana cap. 9. In his, inquit, quae aperte posita sunt in Scriptura, inveniantur illa omnia quae continent fidem. Et lib. 3. cap. ultimo: Quidquid homo extra didicerit si novum est, ibi damnatur: si utile est, ibi invenitur. Ergo praeter Scripturam, nulla dantur traditiones non scriptae, quae ad fidem pertinent.

Confirmatur: Non minus sufficientem est pro fidelibus Christianis novum testamentum una cum veteri, quam fuit solommodo vetus testamentum pro Hebraeis: Sed tota fides ad quam attingebantur Hebraei, fuit expressa in veteri testamento, & libris ejus: Ergo etiam & Christiani, continentur in novo & veteri testamento: Nulla ergo dantur traditiones non scriptae, quae ad fidem pertinent.

Ad objectionem respondeo Scripturam jam non tam ex traditione, ut divinam, esse sufficientem fidelibus: si sumatur cum his omnibus quae continent implicite & virtualiter: nempe quatenus commendat traditiones, & iudicium Ecclesiae, cui parere nos jubet, non vero quatenus illa excludit. Unde ad locum Tertulliani dico, eum ibi non nisi de creatione mundi agere, contra errorem Hermogenis afferentis mundum non fuisse productum ex nihilo, sed ex praesente materia. Ex quo nihil contra nos; quod enim Scri-



Scriptura, quantum ad illam articulum, sit sufficiens, siue habeat plenitudinem, non facit quod sufficiat quoad alia fidei nostrae dogmata.

54 Ad D. Augustinum, alioque Patres interdum afferentes, Scripturam Sacram ad fidem sufficere, dicendum est, eos non ultrare Scripturam in stricta illa & rigoro acceptione, qua libros solum Canonicos complectitur, sed in alia magis ampla & generali significatione, qua ambit & complectitur omnem revelationem ab Ecclesia acceptam uti divinam, siue sit conscripta in corpore Biblie, siue non, sed solo verbo tradita. Siquidem quia potissima & multo major pars divinorum revelationum nobis communitur, est exarata & scripto expressa in ipsa Biblia, idcirco nomine Sacrae Scripturae SS. Patres comprehendunt etiam pauca divinitus nobis per traditionem revelata.

55 Ad confirmationem nego Minorem. Hebraei enim, praeter libros veteris testamenti, habuerunt alia nonnulla ad fidem & mores spectantia, ex ore Prophetarum & antiquorum Patrum, sine scripto excepta, sed ab avis ad nepotes, voce, verborum communicatione transfusa, adque nihilominus agenda vel credenda ipsi obtingebatur: quas traditiones sine scripto per oris transfusionem, nonnulli Kabalah Hebraica voce nuncuparunt, ut supra in ultima probatione nostra conclusionis declaravimus. Unde falsum est quod in segmento inuenitur, nimirum in veteri testamento, seu in libris Moysi, omnem doctrinam ad salutem necessariam fuisse contentam; nullibi enim in libris Moysi extat remedium pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavam diem, nec non in gentilibus, qui circumcissioni non astringebantur, multaque aliis quae supra reclusimus.

56 Obijciunt quarto: Per traditionem non scriptam ostium perveris erroribus aperitur, facile enim est culibet haeretico, cum Scripturam testimonio destitutum videbit id quod dogmatizat, traditionem de illo comminisci Apostolicam: sic Papius apud Eusebium lib. 3. cap. ult. errorem suum de mille annis regni Christi, in terris post resurrectionem futuri, commentitia traditione Apostolica tueri conabatur: sic etiam Quarto-decimani iactabant se celebrationem Paschae decima quarta luna more Iudeorum a Joanne Apostolo & Episcopo Ephesino accepisse, ut refert idem Eusebius lib. 4. cap. 14. At credendum non est, Christum, aut Apostolos, usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo plane commentitium est, eos aliquos de dogmatibus fidei reliquisse, quae Scripturarum canonem non comprehenderint, & per solam traditionem Ecclesiae communicaverint.

57 Respondet hoc argumentum nullius esse roboris, & facile posse in Adversarios sic retorqueri: Si fidei ac religionis negotium doctrina dumtaxat scripta comprehendatur, magnum haereticis ad errores in Ecclesiam invadendos pareret ostium: Sed credibile non est, Christum & Apostolos usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo nec eos omnia scripto tradidisse. Sequela Majoris probatur, facile enim est culibet haeretico Scripturas corrumpere & depravare, illisque abuti ad probandum vel defendendum suos errores. Unde Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas asserit omnes seductores non aliter populos sedulisse, nisi praetextu Scripturarum: Quas tenent ad speciem, non ad salutem. Illique ipsi haeretici quos profertur Adversarii, & in quibus nam traditionis usum reprehendant, potius ex Scripturis maleintellectis, quam ex traditione fuerunt decepti: Papius enim (ut scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus in cap. 49. Isaie, & 10. D. Matth.) ex Scriptura male intellecta Evangeliorum & Apocalypsis, suum errorem deduxit; & Quarto-decimani decima quarta luna celebrandum esse Pascha asserbant, ex eo quod ex Evangelio id aperte colligi putarent, ut docet Polycrates, qui illorum Concilio, seu Synodo praeluit. Sicut ergo ex eo quod plures haeretici ad errores suos defendendos, Scriptura abuti fuerint, propterea non potest dici, per Sacram Scripturam ostium erroribus fuisse apertum; ita, immo & multo minus, id per traditiones factum dici potest, quamvis interdum haeretici, Scripturarum auctoritate destituti, traditione abutantur, vel eam ad suorum errorum defensionem comminiscantur: Nihil enim (ut ait Seneca) tam sacrum, quod sacrilegium non inveniatur.

58 Obijciunt ultimo: Eo modo credibile est Apostolos necessaria fidei nostrae dogmata tradidisse, qui videtur magis conveniens ut illa perpetuo in Ecclesia conservarentur pura atque integra: Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illius vii dumtaxat voce, non ita se habet: Ergo credibile est doctrinam fidei ab Apostolis hoc modo traditam non fuisse. Major constat, Minor vero probatur. Impossibile est, vel admodum difficile, ut quod traditione tantum percipitur, integrum contineatur, & conservetur; vel enim qui audit, non satis assequitur quod audit, vel certe postmodum obliviscitur illius, & consequenter minus incorrupte ipsam aliis tradit. Unde quantum in lege naturae Ecclesia tantam traditionibus non scri-

ptis esset innixa, quia tamen successu temporis oblivione ipsas oblitterari animadvertimus est, in lege Moisaica Scripturae datae sunt, ut per illas oblivioni traditionis succurreretur: Ergo, &c.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod licet attendenda humana industria & cura in conservandis traditionibus non scriptis, vix fieri possit quod non pateant defectus qui obijciuntur, quia tamen illa quibus utitur Ecclesia, Spiritus Sancti providentia singulari qua regitur ipsa Ecclesia conservantur, non magis timendum est ut pereant aut corrumpantur in tota Ecclesia, quam scripturae, utpote quae si humanam tantam providentiam attenderemus, facile possent etiam corrumpi, immo & omnino destrui. Et certe si traditionem fidei toto tempore legis naturae abique ullis scriptis conservavit Deus, nunc etiam & Scripturas, & traditiones non scriptas, haud difficiliter conservabit; ridiculumque est credere, eas non eadem diligentia ac fide posse in fidelium cordibus asseverari, ac si in papyro scriberentur, neque enim Scriptura Spiritus Dei vivi, facilius quam Scriptura atramentum deletur. Unde falsum est idcirco Scripturas in lege Moisaica fuisse datae a Deo, ut oblivioni traditionis succurreretur, si enim ea solum de causa dedisset eas Deus, illam omnem doctrinam ad salutem hominum necessariam continerent; quod tamen falsum esse ex eo supra ostendimus, quod nullibi extat in libris Moysi remedium, pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavam diem. Alia ergo causa illius legis scriptae fuerunt: nimirum ut ea etiam ratione per se quae optima, hominum salutem consuleretur. Ut ad plures cognitio caelestis doctrinae, propius imminente tempore legis gratiae, facilius pervenire possent. Et ut, vel ipsis Judaeis invidis, Ecclesia Christi aliquando copiam eorum doctrinam haberet, & consequenter ejus auctoritate atque antiquitate veritatem suorum dogmatum defenderet.

DISPUTATIO III.

De Ecclesia.

Agimus disputatione praecedenti de duplici regula fidei innominata & muta, Scriptura scilicet & Traditione, nunc de triplici alia regula animata & loquente nobis superest disputandum; & primo quidem de Ecclesia, deinde de capite ejus visibili, Pontifice Romano, postea de Conciliis generalibus & oecumenicis, universalem Christi Ecclesiam representantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Ecclesia universalis sit infallibilis in credendo, & certa regula fidei?

S. I.

Quibusdam praemissi, conclusio affirmativa statuitur.

Suppono primo, Ecclesiam posse spectari dupliciter: 1. Primo generaliter & latissime prout non solum homines, sed etiam Angelos, non solum viatores, sed etiam beatos & comprehensores complectitur; unde sic accepta desinitur, Societas creaturae rationalis, supernaturali cognitione Deo adhaerens, usque vero cultu inter se communicans. Ubi dicitur primo societas, quia Ecclesia in uno solo subsistere nonquit, sed ad minimum tres, qui in jure dicuntur capitulum facere, complectitur. Secundo creaturae rationalis, quo nomine tam Angeli quam homines comprehenduntur, ambo enim ad corpus Ecclesiae generaliter sumptae spectant. Tertio subditur, adhaerens Deo, quia si Ecclesia Deo non adhaereret, esset congregatio prophana & hamana, ad instar rerum publicarum hujus mundi, non autem divina & caelestis, qualis tamen debet esse Ecclesia, de qua nunc agimus. Quarto subjungitur, supernaturali cognitione, in genere, ut sic visum Dei, & fidem complectamur: Angeli enim in Ecclesia triumphantem, Deo per clarum ejus visum adhaerent, nos autem in militante, sicut & anima que in purgatorio cruciatur, per fidem & anigmaticam cognitionem. Quinto dicitur, inter se communicans, ad societatem quippe non sufficit sola multitudo, sed insuper requiritur aliqua communicatio, ut nimirum unaquaque pars alteri pro suo modo & conditione communicet: unde in damnatis, quamvis sit multitudo, non reperitur tamen vera societas, quia non sunt inter se uniti, neque unitus officis inter se communicant. Postremo subditur, vera Dei cultu, & communicatio quae est inter Ecclesiam membra sua partes, maxime penes verum Dei cultum attenditur; Ecclesiae enim nomen est religionis, significans societatem eorum qui ad Deum colendum vocati sunt.

Eccle-

S. II.

Duplici conclusione Lutheranorum & Calvinistarum error refellitur.

Dico primo, Ecclesiam universalem non posse errare 7 culpabiliter in fide.

Probatur primo conclusio duplici celebri Scripturae testimonio. Primum habetur Matth. 16. ubi Christus dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. Ubi per portas inferi significatur demonis potentia & astutia, quae maxime in disseminandis haeresibus & erroribus veritatem: Ergo Christus visus illis aperte insinavit, nullas haereses adversus Ecclesiam super Petram fundatam prevalerunt. Unde Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 6. Pugnare potest, expugnari tamen non potest: haereses unius de illa exterrunt, tamquam saevientia insulsa, de vitis praecisae ipsa autem manet in radice sua, in vitis sua, in caritate sua, porta inferi non vincit eam.

Secundum testimonium sumitur ex Apolloto 1. ad Timotheum 3. ubi sic ait: Ut scias quomodo oportet te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, firmamentum & columna veritatis. Ubi Ecclesia in primis appellatur Domus Dei viventis: absurdum autem est, domum illam in qua Deus inhabitat, & quam sua praesentia jugiter illustrat, errorum sordibus & tenebris contaminari & obscurari. Deinde dicitur columna & firmamentum veritatis: columna, quia sustinet & sustentat veritatem, cum nihil sentire & credere contra veritatem possit: firmamentum vero, quia praes via in definiendo infallibilitate, veritatem ipsam firmat & statuit.

Respondent Sectarii, Ecclesiam vocari ab Apolloto columnam & firmamentum veritatis, quia est fidei custos verbi Dei, quod errare nequit.

Sed contra primo, non est proprium columnae, sed arcus, custodire; unde juxta hanc expositionem debuisse Apollotum Ecclesiam arcum potius quam columnam appellare: Secundo, juxta eandem explicationem, Judaei infidelissimi Christianae Religionis hostes, deberent dici columnae & firmamenta veritatis, quandoquidem vetus testamentum, quod pariter verbum Dei continet, diligenter custodiunt.

Probatur secundo conclusio ex Cypriano libro de unitate Ecclesiae, c. 5. ubi sic ait: Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica: At si erraret culpabiliter in fide, eo ipso deiceret a suo sponso, & foret adultera, ut constat: Ergo in haeresim, vel errorem culpabilem, incidere nequit.

Probatur tertio: Si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret: Consequens non debet admitti: Ergo nec Antecedens. Sequela Majoris probatur: Christus est caput Ecclesiae, & Spiritus Sanctus ejus cor, ut docet S. Thomas 3. p. q. 8. art. 1. ad 3. his verbis: Caput habet manifestam eminentiam respectu ceterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quandam insistentiam occultam, & ideo cor comparatur Spiritus sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit, capiti autem comparatur ipse Christus, secundum visibilem naturam, servitium quoque hominibus praefertur. Atqui naturali lumine constat, defectus actionum interiorum corporis tribui capiti & cordi: Ergo si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.

Dices, Christus est caput, & Spiritus Sanctus cor cuiuslibet fidelis, & tamen error illius in fide nullo modo in eos redundat: Ergo nec error totius Ecclesiae in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.

Sed nego consequentiam & paritatem: disparitas est, quia fidelis particularis potest definire esse membrum ipsius Christi & Ecclesiae, per errorem culpabilem: at vero Ecclesia, supposita Christi promissione quae habetur Offe 2. Desponsabo te mihi in fide in sempiternum, definire non potest esse corpus mysticum illius.

Dico secundo, Ecclesia non potest errare in rebus fidei, nequidem per ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

Haec conclusio sequitur ex dictis in priori, quae non tantum excludunt ab Ecclesia errorem culpabilem, sed etiam inculpabilem. Nam alioquin porta inferi adversus eam prevalerent, & illa non esset columna & firmamentum veritatis, si posset decipi credendo falsum, etiam per errorem invincibilem; neque enim tunc veritatem, sed errorem fulciret. Neque haberet infallibilem & perpetuam Christi & Spiritus Sancti assistentiam, qua doceatur omnem veritatem, ut dicitur Matth. 25. & Joan. 14. sed potius talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret, ut ex supra dictis patet.

Addo quod, si Ecclesia Christi posset errare credendo aliquid falsum, tamquam fide certum, etiam per ignorantiam invincibilem, tota vel fere tota ejus fides dubia redderetur.

2 Ecclesia sic generaliter & late accepta, varios habuit & habet adhuc status: alium enim statum habuit in lege naturae sub Patriarchis, alium in veteri testamento sub Sacerdotibus, Levitis, & Prophetis, & alium habet nunc in lege Evangelica sub Christo & Apostolis, & Pontifice Romano a quo regitur. Item alium habet statum in terris, ubi contra hostes pugnat, & spiritualium militiam exercet, unde militans nuncupatur: alium in purgatorio, ubi igne probatur, & a reliquiis peccatorum purgatur, quare patiens dicitur; alium in caelo, ubi sponso fruatur, & de superatis hostibus victoriam celebrat, a quo triumphans appellatur. Una tamen propterea esse non desinit, non secus ac homo, licet alium statum in pueritia, alium in virili aetate, alium in senectute habeat, idem numero censetur.

3 Praeter hanc generalem Ecclesiae acceptionem, est alia strictior & angustior, qua consideratur sub statu quem in lege Evangelica a Christo Domino accepit, sicque definitur a Barneze hic art. 10. & ceteris aliis: Societas visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo in caelis, & vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium. Qua definitio sufficienter manet explicata ex dictis in precedenti.

Suppono secundo, Ecclesiam hoc secundo modo acceptam, visibilem esse; Ecclesia enim in terris est essentialiter societas non Angelorum neque animarum, sed hominum; non autem dici potest societas hominum in terris, nisi externis & visibilibus signis constaret, quia non est societas nisi se agnoscant qui dicuntur socii: non autem se possunt homines agnoscere in statu viae, nisi societatis vincula sint externa, atque adeo visibilia. Addo quod Matthaei 5. Ecclesia comparatur civitati supra montem posita, quae abicendi non potest. Et Isaiae 2. de ea dicitur: Erit novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Quae testimonia August. Tract. 2. in Joan. de Ecclesia explicat, concludens his verbis: Quid amplius dicitur nisi, quam caecos qui tam magnum montem non vident. Idem Plal. 18. in Sole posuit tabernaculum suum: id est (inquit ibidem Augustinus) in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Quod confirmat Epist. 166. ad Donatistas, dicens: ipsa est Ecclesia in Sole posita, id est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminis terra.

4 Dices, Quod credimus, invisibile est: Sed Ecclesia a nobis creditur, quandoquidem dicitur in Symbolo, Credo Ecclesiam: Ergo illa non est visibilis.

Verum huic instantiam facile responderetur, quod sicut in Christo erat aliquid quod videbatur, nempe ejus humanitas, aliud quod credebatur, nempe ejus divinitas; & sicut in baptismo videmus externam aquam & ablationem, credimus autem internam vim regenerandi, & peccata ablundi. Ita in Ecclesia est aliquid quod credimus, & aliquid quod videmus: credimus enim eam regi a Spiritu Sancto, extra eam nullum posse salvari, & similia; vidamus autem congregationem hominum exterius Deum colentium; & fidem sub uno visibili Pastore profitentium. Itaque licet fides interna & sanctitas, quae est praecipua forma Ecclesiae, quae est in multis membris, non videatur: videtur tamen Ecclesia per suas notas externas, illa non visa; sicut videtur homo per externa accidentia, non visa anima.

5 Suppono tertio contra hujus temporis haereticos, Ecclesiam non solum ex praedictis, sed etiam ex reprobis constare: Christus enim in Evangelio Ecclesiam suam comparat faginem mille in mare, & ex omni genere piscium congregati: area in qua palea & triticum simul reperiuntur; agro in quo bonum semen & zizania admixta sunt; convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt; decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuae; ovili, in quo reperiuntur oves & haedi. Demum Apollotus 2. ad Timotheum 2. Ecclesiam comparat magne domui, in qua sunt diversa visa, quaedam in honorem, alia in contumeliam.

De Ecclesia ergo Christi, quae in terris est visibilis & conspicua, constatque ex reprobis & praedictis, inquirimus an sit infallibilis in credendo, subindeque certa & infallibilis regula fidei, vel possit errare, siue sentiendo, siue proponendo aliquid fidei contrarium. Quod ut magis declaretur

6 Notandum est, dupliciter intelligi posse Ecclesiam errare in fide. Primo culpabiliter, incidendo in haeresim, vel errorem culpabilem. Secundo inculpabiliter, errando cum ignorantia invincibili. Prior errandi modus pejor est, & fidem plane destruit, ideoque Ecclesia magis repugnat quam posterior; utroque tamen ab illa revolvendus est, ad refellendum errorem Lutheranorum & Calvinistarum, docentium Ecclesiam visibilem, quae primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse credendo, & credenda proponendo quae non erant fidei, & multis saeculis usque ad tempora Lutheri in errore perstitisse. Contra quam doctrinam sit